Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

transibunt per eam amplius. Et erit in die illa stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte, et per omnes rivos Iuda ibunt aque. Et fons de domo domini egredietur et irrigabit torrentem spinarum. Egyptus in desolatione erit, et ydumea in desertum perditionis, pro eo quod inique egerint in filios Iuda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. Et Iudea in eternum habitabitur, et Ierusalem in generatione et generatione. Et mundabo sanguinem eorum quem non mundaveram, et dominus commorabitur in Syon. Explicit Iohel propheta. Incipit prologus in Amos prophetam.

Ozias rex cum dei legem sollicite emularetur nimio religionis amore provocatus contra preceptum legis Moysi arrepto thuribulo ut hystoria libri secundi paralipomenon ostendit, sacerdotale officium presumere conatus est, et ob hoc terre motum in templo dei exortum constat, cuius etiam Zacharias propheta meminit. Ante hunc itaque terremotum Amos propheta temporibus predicti regis et temporibus Ieroboam filii Ioas regis Israel, in eas gentes que lectione comprehense sunt, iram dei ob eas causas quas memoravit affuturam denuntiat. Et quia idem propheta in sequentibus ac in tribus impietatibus et super quattuor non convertam eum, tribus peccatorum indulgentiam dare dominum posse significat, quarto eadem peccata admittentibus nec penitentiam nec indulgentiam daturum denuntiat.

Nam per ignis similitudinem que in predictas gentes inmittendum predixit, gehenne atque irrevocabilem dei iram ad cisionem earum de civitatum pressuram voluit demonstrare. Item alius prologus.

Amos propheta et rusticus et ruborum mores distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria et quattuor scelera Damasci, Gaze, Tyri, Ydumee, filiorum Amon et Moab, et in septimo octavoque gradu Iude et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues que sunt in montibus Samarie, et ruituram domum maiorem minoremque testatur; ipse cernit fictorem locuste, et stantem dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum attrahentem supplicium peccatoribus et famem in terra, non famem panis neque sitim aque, sed audiendi verbum dei. Sic dicit liba sed verbum. Amos interpretatur onustus vel avulsus. Hic Amos spiritualis gratia plenus prophetavit inter ceteros prophetas. Non enim ipse solus erat propheta sed etiam et alii. Esse quippe non poterat propheta nisi pastor ante fuisset, qui etiam tuba sua clangeret per singulos dies erudiens et docens in ecclesia. In veritate enim vox omnium prophetarum tamquam tuba spiritualis est predicans in ecclesia, secundum quod scriptum est: Ascende in montem excelsum tu qui evangelizas Syon, exalta vocem tuam et cetera.

Item alius prologus.

Hic Amos propheta non fuit pater Ysaie prophete, quamquam et ille propheta exstiterit. Nam alius iste, ille alius esse apud Hebreos scribitur. Que differentia litterarum apud latinos non habetur. Et ille fortis vel robustus, hic